

PHILOSOPHIA
CHRISTIANA

CVM ANTIQVA ET NOVA COMPARATA

AVCTORE

CAIETANO SANSEVERINO

Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Canonico

IN

COMPENDIVM REDACTA

ad usum Scholarum Clericalium

Consentaneum est, ut ancillae quaedam Reginae
serviant. Hanc igitur assumere doctrinam non
pigeat, quae veritati famulatur.
S. Ioann. Damasc., *Dialect.*, c. 1.

EDITIO QVINTA LOCVPLETIOR
ATQVE EMENDATIO

VOL. II.

NEAPOLI

APVD OFFICINAM BIBLIOTHECAE CATHOLICAE SCRIPTORVM

via vulgo dicta SAN-GIOVANNI-MAGGIORE-PIGNATELLI

in aedibus Fibrenianis

MDCCCLXXIX

PHILOSOPHIA
CHRISTIANA

Huius operis ius proprietatis
in Legum tutela est

NEAPOLI — TYPIS V. MANFREDI

ONTOLOGIA

PROLEGOMENA

1. Ontologia vocari solet ¹ illa Philosophiae pars, in qua investigantur illae notiones, quibus ceterae scientiae innituntur. Secundum s. Thomam definitur: Scientia, quae « considerat ens, et ea quae consequuntur ipsum ²»; vel, ut alibi idem sanctus Doctor inquit, scientia, « quae habet pro subiecto ens, quod est commune ad omnia; et ideo considerat ea, quae sunt propria entis, quae sunt omnium communia, tamquam propria sibi ³».

2. Ut haec definitio, simulque natura huius partis philosophiae perspicua fiat, animo recolendum est in singulis particularibus scientiis certos quosdam, et determinatos modos entis tractari, et peculiare quaedam eius notiones evolvi. E. g., Geometria, cuius obiectum est quantitas continua, et Arithmetica, cuius obiectum est quantitas discreta, duos modos speciales quantitatis, nempe entis, prout est *quantum*, edisserunt, et notiones proprias alterutrius quantitatis inquirunt. At vero Ontologia ea est, quae de ente non secundum aliquam peculiarem rationem, nempe, ut idem sanctus Doctor inquit, prout est *huiusmodi ens*, sed *absolute*, nempe prout est *ens*, disputat ⁴; unde inquit, atque exponit non iam illas notiones, quae aliquem modum specialem entis repraesentant, sed quae ad ens universaliter acceptum spectant ⁵. Iam huiusmodi notiones eae sunt, quae *categoriae* dicuntur, hoc est, illae supremae notiones, ad quas ceterarum rerum notiones referuntur ⁶. Quocirca obiectum, in quo Ontologia versatur, tractationem de categoriis complectitur.

3. Iam in Ontologia de categoriis diversa ratione, ac in Logica, disputatur; nam in Logica eae tractantur, prout sunt notio-

¹ De aliis, quibus appellatur, nominibus, cf vol. I, *Log.*, p. II, c. III, art. 4, p. 70. — ² *Metaph.*, Proleg. — ³ *In lib. I Post.*, lect. XVII.

⁴ *In lib. I Met.*, lect. I. Cf vol. I, *Log.*, loc. cit.

⁵ Hanc ob rationem Ontologia ad *sapientiam* pertinere dicitur: « Cognoscere rationem entis et non entis, et totius et partis, et aliorum, quae consequuntur ad ens, pertinet ad sapientiam, quia ens commune est proprius effectus causae altissimae, scilicet Dei »; ¹ ² ³ q. LXVI, a. 3 ad 4.

⁶ Cf vol. I, *Log.*, p. I, c. I, art. 6, p. 13.